

/ Clarissime Domine. Ago gratias quod libellum meum de gemitu columbae in tua praeclarissima officina recudere, et adjuncto indiculo rerum notabilium augere volueris. Accipiam libenter sex exempla libelli mei, cum aliis novis libris variorum auctorum, quos ad me ex
5 tua solita liberalitate destinare te dicis, quamvis (ut alias monui) ex meis libellis, unus tantum abunde mihi sufficere potuisset, quod ipsum Colonienses, Lugdunenses, et Veneti observare solent. In libello de Ascensione mentis in Deum, nihil habeo, quod addi, vel demi, vel mutari cupiam. In officio ecclesiastico S/ti Caroli, quod corrigendum R/dus P. Gabutius esse dixerat, correctum fuerat, antequam
10 istuc mitteretur. Unum est, quod monendum esse omnino existimavi, officium S/ti Caroli non esse ponendum quarta die Novembris neque in Calendario, neque in proprio de sanctis; sed imprimi posse ad finem Breviarii, vel seorsim, ut factum est de officio Angeli Custodis, et hoc ipsum ante paucos dies respondi typographis Venetis.
Summus enim Pontifex declaravit officium S/ti Caroli, ut etiam Angeli Custodis, et stigmatum S/ti Francisci, permissa esse volentibus ea recitare, sed neminem cogi ad ea recitanda. Porro illa verba lectionis V. [quibus ab avunculo copiose fuerat cumulatus] non vi-
15 dentur esse tollenda, tum quia notum est, Pontifices in suos consanguineos esse liberaliores, quam in alios; tum etiam, quia nisi hoc positum fuisset, mirati essent homines, unde vir tam sanctus tot pingua sacerdotia comparasset. Itaque reddita causa est, cur vir ille modestissimus ad paucos annos redditus ecclesiasticos, majores fortasse quam par est, retinuerit, quia videlicet, imperio avunculi resistere non poterat, et quamvis illo etiam tempore bona ecclesiastica sancte distribueret, tamen mortuo Pontifice, et sui juris effectus, omnia beneficia dimisit excepta ecclesia sua Metropolitana.
20 De interpunctione Psalmi 21 in versiculo, In te projectus sum ex utero, nescio quis inceperit mutare interpunctionem. In hebraico

/ textu incipit versiculus ab illis verbis: In te projectus sum ex
utero; in graeco, in iisdem verbis desinit versiculus praecedens.
Sed quia in Bibliis Sixti V a Clemente VIII recognitis, inchoatur
versiculus ab illis verbis In te projectus sum, hanc lectionem se-
5 quendam esse censeo; sed res non est magni momenti. His valeat cla-
riss/a D.V. cui precor a Deo omnem prosperitatem. Romae, 17 Maii 1617
Cla/mae D.V.

addictissimus, et amicus ex animo
.....

Robertus Card^llis Bellarminus.
.....

/0 (adresse): Clariss/mo D'no, D'no Balthassari Moreto, Typographo Ant-
verpian. Antverpian.

Anvers. Musée Plantin. Ontvangen Brieven LXXV f. 609-610.

Archiv. Vatic. Mss. Gesuiti 22 epist. 183. (brouillon ou minute de Bell)

Medio 1617. Bell. Bernardus Gualthero, ed. Col. Agripp

Correctorium ad opusc. „de Scripthonibus ecclesiasticis

Agitur in primis de Imitatione Christi

Laudatur Thom. a Kempis; Vindicta Kempensis Patris

Henr. Rosweyde, editio operum Th. a Kempis,

facta a Somalia

asseritur auctoritas Thomae a Kempis contra Gersonem

Parisien et abb. de Gersen.

Gf. Opera Rob. Bellarmini, ed. Col. Agripp. 1617

vol VII duae paginae non numeratae

(4 columnae) ante pag. 1 voluminis post

indicem auctorum (etiam sine paginatione)

Citantur etiam Geert Groote
et Florentius Radewijns